Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Commentarius in I. part. - Cod. Ettenheim-Münster 273

Felix, Simon

[S.l.], 1632-1633

Praefatio

urn:nbn:de:bsz:31-129435

Visual Library

PRÆFATIO.

Si uspiam cautè ac timidè
loquendum ē, certè in hac subtilissima, et
profundissima materia. Quia nec periculosius
alicubi erratur, nec laboriosius aliquid quæ-
ritur, nec fructuosius aliquid invenitur ait
S. Aug: l. 1. de Trinit: c. 3. qui etiam ipse-
ń ausus hunc Oceanum ingredi; ferè tm̄ lit-
tus legit, quamvis n. 15. libros de Trinitate
elucubraverit, tn̄ in illis hominum expec-
tationi non satisfecit, abdiderit fortè illo visu, quod commu-
niter ei appingitur, et à Thoma Cantip: recensetur, cum Hippo-
nae in Africa secus mare ambularet, iam libros illos animo
coquens, puerulum apparuisse in littore sedentem, qui argen-
teo cochleari totum mare in angustam scrobem transfunde-
re satagerit, et propter inanem conatum ab Aug: derisus di-
xerit, facilius se id executurum, qm̄ ipse, quod animo volueret,
effectum daret, scilicet mysterium Ssmæ Triados suis scriptis
complectendo, tantillum n. ē, quod de illo novimus, ac si quis
ex vastissimo mari guttulam auferret. Hinc B. Aegydius Mi-
norita, apud Surium, dixisse fertur, S. Joan: Evangelistā
l. qui tn̄ præ libris scriptoribus canonicis sublimissimè hoc Mys-
terium exposuit ⁊ tam parum scripsisse, ac si auicula de in-
genti monte granulum abstulisset, et B. Angela Fulgi-
nas per exstaticam revelaem intellexit, Biblia, SS. Patres Doctores
Theologos suis commentariis tam parum adæquare divinam
bonitatem, qm̄ granum Milii, toti mundo comparatum, idem

forsan Deus significare voluit eo prodigio, quod refert Greg.
Turonensis. l. 1. de mir. c. 13. et Sigebertus Anno Dni 488.
Hunnis per Galliam grassantibus, et urbem Vasatensium ob-
sidentibus, cum sacerdos quidam pro liberatione populi sacris
operaretur, tres guttas, æqualis magnitudinis, crystallo
puriores, ex alto in aram decidisse, easque cum huc illuc
rotatas, tandem in patena concurrentes in unam pellucidis-
simam gemmam coaluisse, quæ cruci aureæ inclusa, multa
postmodum miracula patravit, quo quidem ostento significata con-
firmata est Trinitas personarum, et essentiæ unitas, contra
Arrianos tum vigentes, sed et illud indicari potuit, totam nostram
scientiam, de hoc Mysterio non nisi guttulam esse, comparatione totius
maris. Nemo igitur confidat in genio suo, nemo audacius hanc
abyssum ingrediatur, sed quatenus vestigia maiorum viam sig-
narunt, nec quisquam novi etiam in modo loquendi proferre
audeat, hic n. maxime valet, quod S. Dyon: Areop: de divi-
nis nominibus c. 1. scribit, nullatenus præsumendum esse aliquid de super-
substantiali, secretissimaque Deitate, aut dicere, aut cogitare,
præter illa, quæ nobis divinitus sacra eloquia tradiderunt, sequa-
mur ergo duces fidelissimos, Sacram Scripturam, Ecclesiam, et
SS. PP. Ex scriptura quidem potissimum novum testamentum, quod
clarius nobis hoc Mysterium exponit, in veteri in obscuro in-
dicatum, et paucis cognitum. Ex Ecclesiasticis dogmatibus prin-
cipue serviunt Concilium, Nicænum, et Lateranense sub In-
nocentio III. unde desumptum cap: Firmiter. de summa Trinita-
te, et fide catholica, item tria Symbola ubique recepta scilicet Ap-
ostolicum, quod omnes Christiani scire tenentur, Nicænum, quod in
missa dicitur, et Athanasianum, quod in breviario, ad primam recitatur.
Item regula fidei, S. Greg: Thaum: cuius hodie festum
[illegible] cælitus allata, et in 1. Synodo generali approbata.

B.